

Mythologia, Venise, 1567 - VI, 04 : De Tithono

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre X

Ce document a pour résumé :

[Mythologia, Venise, 1567 - X \[64\] : De Tithono](#)

Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre VI

[Mythologia, Francfort, 1581 - VI, 04 : De Tithone](#) est une version augmentée de ce document

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre VI

[Mythologie, Paris, 1627 - VI, 05 : De Tithon](#) est une transformation de ce document

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre VI

[Mythologie, Lyon, 1612 - VI, 04 : De Tithon](#) est une transformation de ce document

Informations sur la notice

Auteurs de la notice Équipe Mythologia

Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Citer cette page

Conti, Natale, *Mythologia* Venise, 1567 - VI, 04 : De Tithono, 1567

Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle)

Consulté le 08/08/2025 sur la plate-forme EMAN :

<https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/876>

Présentation du document

Publication Venise, Comin da Trino, 1567

Exemplaire Munich (Allemagne), Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ) , Res/4 Ant. 50

Formatin-4

Langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Pagination171r°-171v°

Des dieux, des monstres et des humains

Entités mythologiques, historiques et religieuses [Tithon](#)

Notice créée par [Équipe Mythologia](#) Notice créée le 30/04/2018 Dernière modification le 25/11/2024

teret. Scribit Strabo lib. 17. se Thebas in Aegyptum aliquando contendisse, ubi duo altissimi erant colossi ex integris lapidibus inter se propinqui, quorum alterius superiores partes iam corruerant ob terræmotum; huius pars illa quæ reliqua erat super base, circiter horam primam, ut inquit, sonum emisit haud quaquam magnum ingenti præfente multitudine. Sic enim erat artificiose in ipsa base incisa. Neque hoc erit sanè incredibile, siquæ quanta vis sit scientiæ cognoverit, aut si Thebanorum sacerdotum præstantiam in astronomicis philosophicisq; rebus intellexerit. Non enim illi inter scorta immundissima, neque inter lurcones vino graues maiorem ætatis partem degebant; sed quod reliquum erat tēporis ab administratione sacrificiorum, ut totum in honestissimis rerum vel naturalium vel diuinarū studiis contemplationibusque transigebant. Atqui Zec. chil. 6. hist. 64. Cippū aut vocatum fuisse Memnonem ab Aegyptiis, & columnam rubri varii lapidis fuisse, quæ fontem illum emitteret; textum quidem per diem, quia lætaretur matris præsentia, ac lugubrem per noctem, quia doleteret illius discessu. Alii sanè scriptores à Zece dissentiunt, quia Memnonem in Illo fuisse sepultum, ac non in patriam relatum crediderunt. Atque tot sunt dicta fabulosè de Memnone. Memnonem Auroræ Tithonique filium fuisse dixerunt, quoniam in Orientis regionibus imperauit, quando & Orientem Auroræ nomine vocarunt aliquando Latini, ut est id Virg. in lib. 8.

10

20

Hinc ope barbarica, variisq; Antonius armis
Victor ab auroræ populis.

Quod dictum fuit, quia sub ortum solis, & auroræ ipsius tempore lenis aura plerumque oriatur; nam parua aura Aurora dici videtur. Quod ad Troiam militauerit, quod cæsus fuerit ab Achille, quod honorificè sepultus fuerit, id totum non abhorret ab historia. Quod verò aues ex illius rogo euolauerint, illique immortalitatem Aurora impetrauerit à Ioue, quid aliud est, quam antiquorum poetarum adulatio? nam illi ut propinquorum Regum gratiam aucuparentur, æternam & immortalem gloriam futuram ipsorum Regum dicebant, & quæ in omnes nationes perueniret, multaque fabulosis ornamentis, suauitateque orationis, tanquam horrenda pharmaca suauioribus rebus condiuerunt; ne simplex adulatio nauseam auditoribus moueret. Quæ ad eius statum mirabilitatem spectant, antiquorum artificum præstantiam patefaciunt, qui & colossos incredibilis magnitudinis, ac artificii, & columnas admirabilis tum ponderis, tum etiam incisarum figurarum artificii, non solum erexerunt, sed etiam in longinquas regiones exportarunt. Tanta vero fuit in coniungendis lapidibus scientia, ut vel diligentissimè rimantibus, nulla appareret conunctio, quare præclare dictum est in eam pyramidem, quæ fuit ex Aegypto Romam comportata;

30

Si lapis est vnus, dic qua fuit arte leuatus.

40

Si duo, vel plures; dic ubi congeries.

Quod ad mores, vitæque institutionem attineat, nihil in Memnone esse conspicio, quare tota ferè est historica explicatio. At nunc de Tithono dicamus.

De Tithono.

Cap. IIII.

Tithonus, quem ob corporis elegantiam, amatum fuisse ab Aurora inquit, Laomedontis fuit filius, fraterque Priami, ut fama est: cum
tamen

Mythologia

tamen diuinae matres horum fuisse memorentur. Aiunt enim matrem Priami, fuisse Leucippen, at Tithoni alii Scrymo, alii Rhxo Scamandri filiam. Inquunt Tithonum in caelum fuisse portatum cum ab Aurora amaretur, illiq; a Parcis immortalitatem fuisse impetratam: sed cum oblita fuisset Aurora petere etiam ne senesceret, Tithonus in tantam venisse senectutem dicitur, ut infantulorum more in cunis agitatus quiesceret. Veru denique in cicadam dicitur fuisse conuersus, quae mutatis prioribus exuiis vel senio confecta non occidunt, sed iuuenescunt. Hanc fabulam ita attigit

10 Horat. lib. 2. Carminum;

Longa Tithonum minuit senectus.

Illud autem passus fuisse creditur propter dolorem, quem audita Memnonis filii morte, percepit: nam tanq; evolaturus ad videndum filium brachia conculsit, quare alae cum primu illi natae fuisse dicuntur. Id asserit idem poeta in libro primo, cum dicat illum, qui immortalitatem absecutus fuisse videbatur, cuique alae exorta sunt, tandem occidisse. Tithonusq; remotus in auras. Alii tamẽ dicunt illum Auroram precatum fuisse ut posset immortalitatem deponere, cum propter senectutem humanis voluptatibus frui nõ amplius posset: quod cum illa concedere non valeret, in cicadam illum vertit.

20 Dicitur Tithonus Susa condidisse ciuitatem, non procul ab amne choaspe Persae nobilissimã, ac sedem olim Imperii Persarum. Cum vero in cunis, ut diximus, plerunq; iaceret Tithonus ob senectutem, in lecto tamen illu ab Aurora relinqui solitum scribit Virg. in hoc carmine;

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Habuit ex Aurora Tithonus Memnonem & Emathionem filios, ut dictum est; filiam verò Iodamam. Hae ferẽ sunt, quae de Tithono dicuntur. Hanc rem, qui ad historiam traducere conantur, dicunt Tithonum ex Oriente uxorem duxisse, e qua cum praedictos suscepisset filios, in tantam peruenit senectutem, ut in cunis agitaretur domi infantum more. Hinc fabulae datus est

30 locus, quod Aurora illum amauerit ob temperiem Orientalium locorum, q; illum & maritum, & immortalem prope fecerunt. Quod in cicadam fuerit conuersus, quid aliud est, quam senilis garrulitas & loquacitas? cum enim morosi sint senes, tum gloriosi & temporis praeteriti semper laudatores, contemptoresq; praesentis, & cuiusmodi Nestotem finxit Homerus. Fuerunt qui ridiculam allegoriam addiderint, & quam referre prope sine risu nõ possum. Dicunt enim Tithonum esse vim diuinam, at Auroram matutinam vendendis mercibus vel agendis rebus accommodatam, vnde vir Aurorae Tithonus putabatur. Quoniam vero multa virilia opera aguntur per diem, muliebria per noctem, ut dixerunt, ea de causa illa conficta creduntur a nonnullis; & quoniam venalia per diem exponuntur, dixerunt Priamum esse Tithoni fratrem; nam *πριαμ* emo significat. At ego crediderim hanc fabulam ideo fuisse fictam, quod per illam nos sapientes ad xquo animo ferendas naturae vices solarentur; cum mors omnium calamitatum finis sit Deorum beneficio hominibus concessa. Nam cum immortalitatem a Diis Tithono Aurora impetrasset, ille tamen supplex a Diis ipsis contendit, ut liceret sibi mori, quia satius esse putaret semel interire, quam assidue molestiis, totq; naturae difficultatibus infestari. At nunc de Pasiphae dicamus.

De